

A feruimus: sed vnusquisque nostrum pro viribus tolerabat eum, volentes vel in ciuitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cum vero adolescens ex inedia & vehementissima febre immoderatq; labore & siti, præ solis actu, totus iam ferè resolutus esset, atque deficeret, propinquans ad exitum, neque portari posset, decreuimus cum multis lachrymis illū dimittere in eremo & abscedere, metuentes ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cum igitur illum in arena plorantes posuissimus, videretq; nos abire velle, cœpit nos adiurare, dicens: Per Deum, qui fecit cælum & terram: Per Deum, qui inclinavit cœlos & descendit pro salute humani generis: Per Deū, qui iudicaturus & viuos & mortuos, nolite pati, vt Hebræus moriar, sed tanquam Christiani facite mecum misericordiam, & baptizate me, vt Christianus de hac vita exeam, & ad Dñm pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè, frater, non licet nobis hoc facere, seculares enim sumus: hoc autem Episcoporum & Presbyterorū est opus; sed neque aqua hic est. Ille verò persistebat, similiter adiurans nos, & plura etiam cum lachrymis adiciens, ac dicens: Nolite, Christiani, me priuare hoc diuinitus adulto munere. Cum ergo in magna hæsitacione essemus, Industrius ille diuinitus ait nobis; Erigite illum, & exiite. Exerimus itaque cum magno labore eum, erectumque tenentes exuimus. Industrius autem ille implens ambas manus suas arena, tertio effudit super caput eius, dicens ita: Baptizatur Theodor. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nobis verò per singula respondentibus, Amen (Dñs Deus testis est, fratres) ita continuo sanauit, & cor oborauit cum Christus Deus noster, vt nullum iam in eo pristina infirmitatis remaneret indicium, vel qualiscunque passionis; sed sanus & valens, cum omni alacritate & florido aspectu, quod reliquum erat itineris per eremum ambulauit, semper nos præcedens; ita vt admirantes talem & tam subitam mutationem, omnes laudauerimus & glorificauerimus ineffabilem maiestatem & benignitatem Christi Dei nostri. Venientes autem Alcalonem, adduximus eum ad beatum & S. Dionysium eius vrbs Episcopum, narrantes, quæ fratri in via contigissent. Quibus auditis, sanctus admirandūque Dionysius stupens ob tam nouum inauditumque miraculum, conuocato Clero exposuit ei rotum negotium, vt decernerent, vt rum effusio illa arenæ reputanda esset fratri in baptismum, an non: Et alij quidem dicebant, debere illi reputari in baptismum, propter inauditam miraculi magnitudinem: alij verò dicebant non; Theologus quippe Gregorius omnia baptismata dinumerat; Baptizabat, inquit, Moyses, sed in aqua, & antea in nube & in mari. Baptizauit & Ioānes, non iam quidem Iudaice; non enim in aqua solum, sed & in penitencia: Baptizat autem & Iesus, sed in spiritu sancto. Itud perfectio est. Scio & quartum baptismum, per martyrium & sanguinem. Scio & quintum, lachrymarum scilicet. Hæc ille. Quo igitur horum illi inquebant, iste baptizatus est, vt etiam ipsius baptismi roboremus, maxime cum Dñs ad Nicodemum dicat: *Nisi quis natus fuerit de nouo ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum Dei.* His alij contradicebant sic: Quid ergo? Quia scriptum de Apostolis non est, quod baptizati sunt: idcirco non intrant in regnū Dei: Alij rursus è contra inferebant, dicentes: Ita sanè illi baptizati sunt, sicut & Clemens Stromateus meminit, in quinto Hypotyposon. Apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur: *Gratias ago, quia neminè vestrū baptizauit, Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Iacobum, Andream, & Ioannem, illi autem reliquos.* Hæc igitur & alia plurima cum dicta essent, visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, illicque baptizari; Industrius autem illum ordinauit Diaconum. *In praro spirituali, cap. 716. Vide Nicoph. lib. 3. hist. cap. 37.*

Cum Basil. ille magnus Hierosolymam baptismi suscipiendi gratia cum præceptore suo Ebnulo sese contulisset, Maximus eius vrbs Episcopum adierunt; ad cuius pedes se abiecissent, rogarunt diuinitus sibi conferri baptismum, siue regenerationem in Iordanis flumine. Quos vbi sanctus ille Episc. vidit, pro sua erga omnes humanitate illorum annuit precibus; venique cum vitis fidelibus ad Iordanem: vbi tum Basilus in ripa consistens, humi se prostravit; & cum clamore valido & lachrymis petebat à Deo aliquod suæ fidei signum ostendi, surgensque cum tremore, suis se vestibus spoliat, vnaque cum illis veterem exiit hominem: descendensque in aquas orabat. Vnà autem sacerdos etiam descen-

dit, eumque baptizauit. Et ecce confusus ignis incidit super eos, atque ex eodem fulgure columba exiit in Iordanē, turbansque aquam reuolauit in cælum. Eo viso, qui adstant, timore concepti glorificauerunt Deū. Porro Basilus baptizatus exiit ab aquis. Admirans autem Episcopus Basilij in Deum amorem, orans induit cum resurrectionis Christi vestimentis. Baptizauit etiam tum Eubulum, vixitque vtrumque sacro chrismate. *Amphilochius in vita S. Basily.*

*Marona* quædam in districtu montis Pessulani in Langhodoock, cum prolem suam longo itinere portaret ab baptizandam, accidit, vt ætas illa tenella est; infantem admodum infirmari, & matrem vereri nē subito moreretur, non percepto baptismo. Itaque morte iam irruente, eum è ponte in subiectum torrentem deiecit, dicens: *Ego te baptizo in nomine &c.* Vbi cum omnia essentialia adfuerunt, dummodo tamen mortuus non fuerit ante baptismum completum; non est dubium, quin verus fuerit baptismus. Refert ex *Pannon. Syluester in summa, verb. Baptismus.* Quamvis hic modus baptizandi nulla ratione sit adhibendus.

*Miracula circa Materiam.*

Anno Christi Dñi sexagesimo octauo euenit, vt *S. Petrus* Apostolus in carcerem Mamertinum mitteretur. Vbi assertuatus est à militibus *Processo & Martiniano*; qui multas ob causas *S. Petri* monitu nomen Christo dederunt: cumque non esset eo in loco ad illos baptizandos aque copia, mirabiliter è solido saxo fons erupit; è cuius aqua baptismus est administratus. *Baron. Annal. Eccles. tom. 1. ad ann. 68.*

*Cassiodorus lib. 8. variat. lect.* agens de conuentu *Leucotheæ* in Lucania, & fontem irriguum describens, tale ibi refert miraculum: Est locus ipse camporum amenitate distensus suburbanum quondam *Coslinatis* antiquissima ciuitatis, qui à conditore sanctorum fontium *Marcellianum* nomen accepit. Hic erumpit aquarum perspicua & dulcis vbertas; vbi in modum naturalis antri, apudis fabricata concauit, sic perspicuus liquores emanat, vt vacuum pute lacum, quem non dubitas esse plenissimum. Hæc perlucidus vsque ad fundum patet, vt aspectibus tuis æreum potius apparere iudices, non liquorem. Amulatur serenam diem aqua subtilissima: nam quidquid in imo geritur, inoffensa aëris claritate monstratur. Et paulo post: Longa sunt illius fontis memoranda describere: veniamus ad illud singulare munus sanctumque miraculum. Nam cum die faceret noctis precem Baptismatis cœperit facerè effundere, & de ore sancto sermonum fontes emanare, mox in altum vnda profiliens aquas suas non per meatus solitos dirigit, sed in altitudinem cumuloque transmittit. Erigitur brutum elementum sponte sua, & quadam deuotione solemnī præparat se miraculis, vt sanctificatio maiestatis possit ostendi. Nam cum fons ipse quinque gradus tegat, eosque tantum sub tranquillitate possideat: aliis duobus cernitur crescere, quos nunquam præter illud tempus cognoscitur occupare. Magnum stupendumque miraculum, fluente labentia sic ad humanos sermones vel stare vel crescere, vt eis credas audiendi studium minime defuisse. Fiat venerabilis omnium sermone fons iste celestis. Habet & Lucania Iordanem suum. Ille exemplum Baptismatis præstitit, hic sacrum ministeriū annua deuotione custodit, Quapropter & reuerentia loci, & vtilitas rei dare debet populis sanctissimam pacem.

Aliud non minus illustre miraculum legimus apud *Gregor. Turonensem.* Est piscina apud Oster campum in Lusitania antiquitus sculpta, variòque marmore ad modum Crucis composita, & super eam templum magnificum iam olim à Christianis extructum. Itaque adueniente quotannis die, qui cœnæ Dominicæ sacer est, conueniunt cum Episcopo ciues, templique ostia signaculis muniant, eaque in diem tertium qui Sabbathum est Paschæ, referant. Mirum dictū! Piscinam quam vacuum reliquerunt, plenam & altiore cumulo referant inueniunt, laticæque huc illic fluctuare, neque in partem diuersam desfluere, conspiciunt. Itaque iuxta ritus Ecclesiæ eam Pontifex benedicit, & populus certatim effert, vt in domibus & aliis locis aspergat: neque tamen minuitur cumulus, eadem semper quantitate remanente. *Baron. Tom. 7. annal. ad annum 548.*

Tèpore *Leonis I. Rom. Pontificis* circa annū Christi 417. fuit in ditione *Lylibæi* vico cui nomē *Meltnas*, loco dumoso & syluestri, Ecclesia, & in ea fons baptismalis, qui nocte solēntatis Paschalis, ea ipsa hora, qua baptizandi salutaribus vndis expiari